

1500 ne reliqui milites tempus temere contererent, communi consilio statuerunt Cephallenes oppidum aggredi, turpe futurum existimantes, si ab insula re non tentata discessissent: posse Turcas gloriari, duabus classibus tam paratis atque tantis animum ad id capiendum defuisse. Iis constitutis rebus navis una oneraria trium millium amphorarum Genuæ ab Aloisio rege Galliæ auxilio reipublicæ comparata Cephallenem appellitur, ut Pisauero præsto esset. ad ejus navis præfectum, qui erat infirma valetudine, Pisaurus legatos misit salutatum, actumque regi gratias, quod in rempublicam liberalis tam opportuno tempore fuisset. Præfectus expectare se se navem alteram dixit, quæ item Genuæ instructa secum una solvisset, tempestateque acta cursum non tenuisset: earum navium, & militum mille quingentorum, qui in illis erant, trium mensium stipendia regem subministravisse: ea stipendia desinere ad diem duodecimum calendarum decembris. Is autem dies, quo die illa dicebantur, erat ante diem sextum iduum novembrium. eis si navibus post eum diem uti vellent, ipsos stipendia præstare oportere. Ad ea Pisaurus respondi jussit, se nisi de Senatus auctoritate nihil acturum, literasque de eo ad Senatum daturum. Præfectus ubi ei rei moram esse interpositam vidit, nactus idoneam tempestatem vela fecit, atque abiit. de navis altera post illa nihil est auditum.

*Cephallene
oppugnatur.*

Pisaurus interea Consalvusque tormentis muralibus eductis, oppidi muros verberare complures dies instituerunt. nam quod erat loco editiore, monti etiam pluribus a partibus prærupto oppidum impositum, ea res magna cum difficultate administrabatur. deinde suo cuique legatorum & præfectorum navium attributo munere, ut quam quisque oppidi partem signo dato aggredieretur, irrumpereque conaretur, antea cognosceret; statuerunt experiri quantum in hostibus ad propugnationem animi virtutisque inesset. Erant autem, quemadmodum a profugis intellectum est, milites oppidi præsidio trecenti. Die oppugnationis dicta ejusmodi tempestates fuerunt, ut res differri oportuerit: demum pluviis remittentibus, pilis ferreis frequentioribus

ejacu-